



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XVIII. De Furtis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



TITULUS XVIII.

De Furtis.

Rapina affinis; imò species quaedam est Furti, sumpti generatim: quod specificè & propriè acceptum, sicut superat violentiâ, sic frequentiâ ab eo superatur.

ARTICULUS I.

De Furti Natura,

SUMMARIUM.

1. Definitio Furti TT. & Jurisconsultorum.
2. Non committitur solò animò:
3. Nec in re immobili vel incorporali:
4. Neque in re sua vel ab alio derelicta:
5. Neque in aliena, qua sua aut derelicta creditur:
6. Neque sine animo lucrificandi.
7. Committitur ablatione solius usûs vel possessionis,
8. A filio, servo, & uxore,
9. A mandante furtum & hoc consuetudo,
10. Et ab emptore rei, quam scit esse furtivam.
11. Fur non est, qui furem non inducat:
12. Nisi rem furtivam celet.
13. Neque creditur auferens rem sibi debitam,

14. Nisi hanc aliter consequi commodè possit:
15. Neque retinens rem inventam:
16. Nisi dominum sciat vel omitat e jus investigationem.
17. Fur est, qui rem auferit in necessitate:
18. Nisi ista sit extrema.

Furtum à Furvo, id est, nigro; quòd clam & in obscuro fieri soleat, sic dictum, l. 1. pr. ff. de Furtis, est Occulta acceptio rei alienæ, invitò dominò. Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 68. art. 3. & bene à TT. definitur. Melius tamen & expeditius cum Paulo ICT.º & Imp. esse dicitur, Fraudulosa contraclatio sive acceptio rei alienæ, vel ipsius usûs, vel possessionis, lucrificandi causâ, l. 1. cit. §. fin. & §. 1. Infit. de Oblig. qua ex delicto, Sylvester V. Furtum. n. 1. Molina Tract. 2. de I. & I. disp. 681. n. 2. Haunold. Tom. 1. de I. & I. Tract. 2. n. 253. Pirching ad hanc Rubr. n. 1. Unde

Infertur, furtum non committi Primò, solâ voluntate sive animi desiderio, intentione atque etiam conatu rem alienam contraclandi, l. Possideri 3. §. 18. ff. de Acquir. possess. l. 1. pr. & l. Vulgaris 21. §. 7. ff. de Furtis, saltem in foro Fori, ut loquuntur, sive externo; quia in hoc furtum non committitur sine actu contraclationis, ultra animum exigentis acceptat io-

acceptationem five ablationem, quæ res aliena de loco in locum transferatur, §. 18. cit. aut ejus detentionem: quæ moraliter est acceptio rei continuata, secundum S. Thomam *art. 3. cit. ad 2. l. c. sium Lib. 2. de l. & l. cap. 1. n. 2. & Azor p. 3. Instit. Lib. 3. cap. 11. §. Dicitur primò. In externo, inquam; quia in interno seu Poli & Conscientiæ foro sola furandi intentio furti reum facit, Exodi cap. 20. v. 17. & Deuteron. cap. 5. v. 2. quò locò utroque humanorum cordium scrutator Deus rem proximi quamcunque etiam concupiscere vetat, & can. Si propterea 29. dist. 1. de Penit. Tholosan. Syntagmat. Lib. 37. cap. 1. n. 9.*

Secundò, in re incorporali, ut est jus, actio, servitus, Sylvester *V. Furtum, n. 1. & Manz. in §. 1. cit. n. 9.* cum enim servitus aliæque res incorporales sub sensu non cadant, tangi & contractari non possunt, §. Incorporales 2. *Instit. de Reb. corp. & incorp.* atque idcirco furtum fieri nequit, nisi in re corporali, eam vel quoad proprietatem, vel quoad usum, aut possessionem intervertendò, five alteri auferendò & lucrificiendò.

Tertiò, in fundo, aliæve re immobili, §. Quod autem 7. *Instit. l. Quam rem 38. ff. de Usucap. & l. Verum 25. ff. hâc Rubr.* quia propriè occultari & accipi, five de loco moveri & ad alium transferri non potest, *l. Possideri 3. §. 18. ff. de Adquir. possess. cit.* Sylvester *n. 1. & Manz. n. 8.*

Quartò, in re sua seu propria ita, ut nulli alteri in ea competat jus; cum enim suæ quisque rei moderator & arbiter sit, *l. In re mandata 21. C. Mandati*, uti eâ & abuti liberè potest, *l. Sed etsi 25. §. 11. ff. de Petit. heredit. cit.* Sylvester *cit. n. 1. Molina n. 15. & Pirrhing n. 5.*

Quintò, in re; quæ in nullius est bonis, vel à domino habita pro derelicta, *l. Falsus 43. §. 5. ff. hâc Rubr.* cum enim hujusmodi res fiant occupantis, *l. Pro derelicto 2. §. l. Si id 5. §. 1. ff. Pro derelicto*, earum contractatio & acceptio caret fraude, & non fit, dominò invitò; cum isto careat, *cit. Azor cap. 11. §. Dicitur rei, & Manz. n. 18.*

Sextò, in re aliena, quam quis existimat esse suam, *arg. §. 1. Instit. de Vi bonor. rapt.* quia ejus contractatio non est fraudulosa; sine fraude autem & fraudandi seu furandi animo furtum esse nequit, §. Placuit 7. *Instit. de Oblig. ex delict. cit.* Azor §. *Dicitur fraudulosa, & Manz. n. 11.*

Septimò, in ea, quæ seitur esse aliena, si eam auferens verè aut saltem rationabiliter existimet, dominum laedere & in acceptationem consentire, *l. Inter omnes 46. §. 7. §. l. Qui re 76. pr. ff. hâc 3.* cum etiam hoc calu desideretur fraus; non enim fraudare quis dicitur eum, qui scit & consentit, *l. Quod autem 6. §. 9. ff. Qua in fraud. credit.* In dubio, saltem si res insuetò modò accipiatur, dominum esse invitum, & in acceptationem non consentire, præsumitur, *l. Qui vas 48. §. 3. ff. hâc, cit.* Azor §. *Dicitur invito, Manz. n. 11. & Haunold. cit. Tract. 2. n. 272.*

Octavò, qui alterius ancillam libidinis cum ea exercendæ animò abducit vel occultat, *l. Verum 39.* aut rem alienam contractat injuriæ causâ, *l. Qui injuria 53. pr. ff. hâc* vel eam destruit, *vg. occidendò equum, gemmam ex manibus in flumen excutiendò;* quia his casibus abest animus lucri faciendi, ad furtum requisitus §. 1. *cit.* ac proinde non ratione furti, sed injuriæ & damni dati conveniri potest; maleficia enim voluntas & propositum delinquentis distinguit, *l.*

E e 2

Qui in

Qui injuria cit. cit. Molina n. 15. Manz. n. 13. & Pirrhing n. 4.

7. Infertur contrà secundò, furtum committi, Imprimis à domino, torquem, scyphum vel aliam rem creditori oppignoratam, §. Unde 14. *Instit. de Oblig. ex delicto*. l. Itaque 12. §. 2. l. In actione 19. §. 6. vel usufruario aut usufruario rem, in qua usum vel usufructum habet, clam auferente, l. Inter 46. §. 1. ff. de Furtis: uti etiam à Commodatario, re commodatà diutius, aut aliter, quàm convenit: à depositario vel creditore, deposito vel pignore utentibus, §. cit. *Instit.* l. Qui jumenta 40. & l. Si pignore 54. pr. ff. Tit. cit. quia furtum etiam committitur fraudulosa contrectatione ipsius usus aut possessionis, cit. Azor cap. 11. §. Ultimò, Manz. n. 20. & Pirrhing n. 5.

8. Deinde à filio & servo, res patris aut domini fraudulosè & lucrificandi animò contrectante, §. Hi qui 12. *Instit. de Oblig. ex delicto* & l. Servi 17. pr. ff. hie: quantumvis, ut utroque textu in sinuatur, Furti actione non teneantur; cum enim pater filium & servum dominus domi corripere valeat, cum iis litigare necesse non habet; imò nec potest; quia eos habet in potestate: cum iis autem, quos in potestate habemus, non magis, quàm nobiscum ipsi, agere valeamus, §. 12. cit. Simili modò, licet uxor mariti res furtivè furtum committat, ob honorem tamen & reverentiam matrimonii rerum duntaxat amotarum: non furti (famosà & turpi, l. Divortii 2. C. Rer. amot.) actione tenetur, l. Si quis 52. §. 1. ff. de Furt. l. Nam in honorem 2 & l. Rerum 29. ff. Rer. amot.

9. Præterea ab eo, qui furtum mandat, aut furi auxilium vel consilium præstat: si furtum sit secutum, l. In furti

§0. §. 1. ff. hie: imò & qui furenti cum rebus furtivis scienter recipit & occultat, l. Qui vas cit. §. 1. quia hi omnes saltem moraliter & fraudulosè rem alienam contrectant, Farinacius Prax. Criminal. q. 168. à n. 32.

Demum ab eo, qui rem furtivam scienter à fure emit; arg. l. Incivilem 2. & l. Civile 5. C. de Furtis: uti & ab eo, qui rem, quam scit furtivam, accipit in solutum; quia datio acceptiòque in solutum emptio & venditio reputatur, l. Litis 3. ff. Pro emptore & l. fin. ff. Ex quibus caus. in possess. eademque ratio militat in utraque, Baiard. ad Clarum §. Furtum n. 116. Harprecht in §. fin. *Instit. de Oblig. ex delicto*. n. 14. & Haunold. Tom. 6. de l. & l. Tract. 2. n. 254. in fine, ubi duo hi DD. monent, rei furtivæ emptorem, eamque accipientem in solutum, non furti ordinarià, sed extraordinarià poenâ plecti. Ex dictis

Dubium oritur, an furti reus sit, qui furem non indicat. Id enim absolutè affirmandum, desumi videtur ex c. Qui cum fure 4. cujus in rem hanc clarus tenor est, Ille reus tenetur, qui furti conficius non indicat. Neque id immeritò; cum talis furi consentire; atque idcirco pari cum eo crimine & poenâ teneri videatur, §. Interdum 11. *Instit. de Oblig. ex delicto* & arg. c. Quanta 47. de Sent. excom.

Sed, licet hoc verum sit de eo, qui furem cum rebus furtivis, aut sine eo has earumve partem scienter recipit & occultat, ut antè dictum, furti tamen regulariter non tenetur, qui furem novit & non indicat, per expressum textum l. Qui vas cit. §. 1. cujus dispositio c. Qui cum fure cit. textu correctà non est; quia istò, (ut taceam, quòd de non indicante & rei furtivæ particeps exaudiatur à Panormit. in c. cit. n. 3.) sermo est de non indicante ipsum fur-

psum furtum, sive rem furtivam, ut ibi notat Barboza n. 2. hanc enim, si non indicet, actione furti concepti aut non exhibiti eum teneri etiam de Jure Civili, liquet ex

12. §. *Conceptum* 4. *Instit. de Oblig. ex delicto* ut cum Gothofredo advertit Gonzalez in c. *Qui cum fure cit. n. 7.* non autem de non indicante furis personam: quam rectius supprimit, si ejus grave supplicium timeatur, monet S. Augustinus relatus *can. Ne quis* 22. q. 2. & si absque ejus manifestatione res furtiva recipiatur, suadet ratio Naturalis, distans, proximum, cujus crimen latet, regulariter non infamandum. *Regulariter*, inquam; quia, si urgeret præceptum superioris, vg. Episcopi, literis monitoriis manifestationem furis præcipientis, vigore decreti S. Synodi Trident. *Sess. 25. cap. 3. de Reformat.* ipsum etiam furem indicandi obligatio foret; quòd hoc casu prævaleat auctoritas & utilitas publica, exigens crimen non esse impunitum, Gonzalez in c. *cit. n. 5. & 6.*

13. Dubium secundò est de creditore, debitori clam auferente, quantum hic ipsi debet. Non quidem casu, quò debitum est dubium; eò enim casu melior conditio possidentis: & propterea occulta compensatio illicita est, secundum Omnes. Sed, quò debitum omnino liquidum est & certum; istò enim casu furtum committi, *arg. l. Unic. C. Ne quis in sua causa*, aliqui asserunt apud Haunoldum *cit. tract. 2. n. 273.* Sed melius ipse negat cum Navarro *Manual. cap. 17. n. 1 & 2.* Sylvestro *V. Furtum cit. q. 13.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 691. n. 1.* Ratio est; quòd rem alienam non auferat animò lucrandi: sed sibi debitum obtinendi, sècque hanc viâ servandi indemnem. Verum quidam est, *arg. l. cit.* non licere moroso debitori rem debitam, aut pro se aliam auferre, quando solutio aliâ ratione, vg. auctoritate judicis sine magno incommo-

do potest obtineri, *l. Extat 13. ff. Quòd metus causa*: imò tali casu eam auferendâ licentia furtis ac latrociniiis anam præberet. Hinc tamen legitimè non inferitur furtum committi à creditore; quia ad hoc requiritur animus furandi & lucrificiendi, §. *Placuit cit.*

Rectè tamen DD. ut etiam liquidi & judicis auctoritate sine gravi incommodo non recuperabilis debiti occulta compensatio licita sit, passim exigunt; ut ea in usu consumptibili & quantum fieri potest, ejusdem speciei re fiat: & absit periculum scandali ac detrimenti aliorum, qui in ejus furtò ablata suspicionem venire possent: atque insuper, ut consulatur salutè spirituali ipsius debitoris, significandò ipsi nihil deberi aut peti: caveaturque, ne ab ipso vel hæredibus debiti compensati solutio fiat, *cit. Navarrus & latè Molina.*

Dubium tertio est de detentore rei inventæ. Eam enim retinentem pro fure habendum, exploratum & expressum est *l. Falsus cit. §. 4.* Cujus tenor est, *Qui alienum quid jacens lucrificiendi causâ sustulit, furti obstringitur, sive scivit cujus fuerit, sive ignoravit; nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd, cujus sit, ignoretur.* Ex quo textu & sententia S. Augustini, rerum inventarum detentores reprobis æquiparantis *can. Si quid inventis, rapuisi 14. q. 5.* ejusmodi res sine furti crimine non retineri, multi inferunt indiscriminatim. Alii verò eas, cum dominus non apparet, pauperum aut aliis piis usibus applicandas, sustinent cum Covarruvia in *Reg. Peccatum p. 3. §. 1. n. 2.* & Gomez *Tom. 3. Var. cap. 5. n. 2.*

Ego rem expediendam censeo opere distinctionis; vel enim inventor rei dominum debitò modò, vg. ex cathedra, vel per præconem, aut schedam publicò locò propositam, pro rei inventæ qualitate &

estimatione, inquisivit, vel non? Si posterius hoc, reus est furti, per textum *cit.* §. 4.

16. §. 7. quia rem alienam lucrificandi causâ & dominò invitò retinendo fraudulosè contredidisse censetur. Si prius, uti & si probabili ratione ductus existimavit, rem esse derelictam, à furti atque etiam injustitiæ labe immunis erit, licet eam retineat: & postquam, dominum compariturum, spes amplius non est, in proprios usus convertat; quia tali casu res dominum amplius non habere & derelicta naturalémque libertatem nacta censetur: cujusmodi res sunt occupantis, l. 1. §. 1. *Pro derelicto* 2. ff. *Pro derelicto*, Atque ita ex communi docent Sañ V. *Theaurus*, n. 4. Sotus *Lib. 5. de Jusit. q. 3. art. 3. ad 2. Tæsius ad hanc Rubr. n. 13.* & Palao *Tract. 31. disp. unic. p. 19. n. 4.* ubi tamen uterque monet, tutiorem & in praxi suadendam doctrinam, ejusmodi bona in pauperes aliòsque pios usus expendi jubentem: quod etiam censet Laiman *Lib. 3. tract. 1. cap. 5. n. 24.*

Neque in contrarium facit *can. Si quid cit.* eique consonans *can. Multi q. 5. cit.* quia loquuntur de non reddentibus, utique cum possent, domino comparenti; ac proinde de malæ fidei detentoribus rei: quorum propterea cor, hoc est, conscientiam Deus interrogaturus asseritur *can. Si quid cit.* ut rectè advertit *cit.* Palao n. 3.

17. Dubium quartò est de auferente rem alienam in necessitate: qui pro fure absolutè haberi videtur *c. Si quis 3.* ei propterea poenitentiam decernente. Sed hac etiam in re adhibenda est distinctio; vel enim necessitas communis, aut etiam gravis, v.g. si honestæ conditionis homo à lias cogeretur mendicare: vel extrema est, ut, si alienam rem ad usum non auferret, mortis vel gravissimæ infirmitatis aut miseris periculum foret? Si prius, verissimilius juxta *c. cit.* tanquam à furti & in-

justitiæ crimine non omninò immunis, plecti, sed mitiori aliquâ pœnâ, possit; quia talis necessitas non facit res communes, nec tribuit jus in re aliena, Sylvester *V. Furtum q. 3. Azor p. 2. Instit. lib. 12. cap. 8. q. 8. Farinac. Prax. Criminal. q. 174. n. 69.* & alii apud Barbolam in *c. cit. n. 2.* Si posterius, res aliena ad ejusmodi malum propulsandum necessaria auferi & absumi citra furti aut rapinæ labem ac pœnam potest; quia hujusmodi necessitas licitam facit acceptionem rei alienæ: imò hæc non amplius aliena, sed ejusmodi necessitate patienti communis est, *arg. l. Si laborante 2. §. 2. in fine ff. ad L. Rhod. de jactu. can. Sicut 8. junctâ Glossâ. V. Commune. dist. 47. Sarmiento de Reddit. Eccles. p. 3. cap. 5. n. 4.* quam comunione non impedit contraria voluntas possessoris, quia hæc rationabilis non est, & auferre nequit; quod tribuit Natura, extrema necessitatis casu communem faciens rem, sine qua illa propulsari non potest, Navarrus *Manual. cap. 17. n. 5.* Covarruvias in *Reg. cit. p. 2. §. 1. n. 3. Azor l. cit. q. 6.* & aliis allegatis *cit.* Barbosa n. 2. rectè excipiens casum, quo in tali necessitate etiam versaretur rei dominus; quia in pari periculo & necessitate melior esset conditio possidentis *arg. Reg. Cum par 154. ff. & Reg. In pari 65. in 6.*

ARTICULUS II.

De Furti Restitutione ac Pœnis.

SUMMARIUM.

19. Ex furto oritur obligatio restituendi.
20. Saltem, cum fur restituere potest.
21. Secundum aliquos DD. qui rem absumit in extrema necessitate.

22. Qui ad restitutionem verius non tenetur.
23. Ex furto competit actio furti.
24. Et conditio furtiva.
25. Pana criminales furti Jure Civili Veteri.
26. Et Recentiori constituta.
27. Res apud furem apprehensum reperienda restituenda domino.
28. Non sicut applicanda sunt.
29. Contraria Consuetudine non obstantem;
30. Ut nec judiciales sumptus detrahi possint.
31. Fures sunt infames & irregulares.
32. Clericus fur deponendus & aliquando degradandus &c. est.

19. **P**orro Furtum hæcenus declaratum non solum Humanò : sed Divinò quoque ac Naturali Jure prohibitum, res omnino indubitata est ex Decalogo, Exodi cap. 20. V. 14. & Deuteron. cap. 20. V. 19. & Ratio perspicua est; quia continet gravem injuriã proximi: cui invito res sua fraudulenter aufertur ac detinetur; ut proinde ad ejus expiationem præter Pœnitentiam, quã reconcilietur Deus, etiam necessaria sit rei injustè ablatae aut detentæ restitutio, quã proximo satisfiat; cum peccatum non dimittatur, nisi ablatum restituatur, Reg. Peccatum 4. in 6. & si absque restituendi obligatione dimitteretur, via aperiretur innumeris furtis, rapinis, aliisque injustis læsionibus: quæ, cum humanæ societatis dissolvendæ periculo committerentur, si ad furti, rapinæ aut alterius injustitiæ expiationem sufficeret pœnitentia.

20. Quantumvis autem hæc faciendæ restitutionis obligatio vim non habeat casu, quò fur non potest, & unde restituat, non habet; cum ad impossibile nemo ob-

ligetur, Reg. Impossibile 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6. nihilominus non omnino extinguitur: sed adstringit pro tempore, quò venerit ad fortunam pinguiolem, ut est communis & certa sententia DD.

Dubium hinc non leve oritur, an, qui in extrema necessitate alienam rem abstulit, postea locuples factus obligetur ad restitutionem. Quod cum Navarro Manual. cap. 17. n. 6. & Covarruvia in Reg. Peccatum p. 3. §. 1. n. 4. affirmat Lessius lib. 2. de J. & J. cap. 16. n. 8. Negat autem Barbosa in c. Si quis cit. n. 3. cum cit. Sylvestro V. Furtum, q. 5. n. 10. & Azor p. 2. Instit. lib. 12. cap. 8. q. 8.

Illi nituntur textibus c. cit. & l. Nefemius 34. ff. de Negot. gest. Rationem reddunt; quòd ex una, rem alienam accipiendi jus, quòd extremã necessitate laborans habet, commensuretur obligationi, quam habet dominus, eam pro necessitate illa sublevanda dandi; ut nec plus, nec aliter egens valeat accipere, quàm quantum & quomodo iste obligatur; ex altera verò parte, dominus necessitatem etiam extremam patienti rem suam donare non teneatur, sed satisfaciatur, eam mutuandò; quia solummodo obligatur ad sublevandam illam necessitatem, quæ tollitur datione mutui: quòd acceptum locupletior factus mutuatarius restituere tenetur.

Istorum autem præcipuum fundamentum est; quòd non appareat, unde eò casu ablata restituendi obligatio oriatur; cum non oriatur ex re accepta; quia illa non extat, sed bona fide est consumpta: neque ex injusta acceptione; quia ejus acceptio & absumptio facta est legitime, & ex permissione Juris Naturalis, eo casu omnia communia esse volentis. Neque ex vero aut quasi contractu; quia inter extremè laborantem ac dominum de restitutione non convenit, aut convenisse,

Jus præ-

Jus præsumit, vel interpretatur; cum in contrarium adductorum textuum neuter agat de acceptis in necessitate extrema, ut *cit.* Azor de priore q. 8. de posteriore q. 7. utrobique in fine, rectè observat

22. Ex duabus his DD. Opinionibus, sicut probabilem ac tutam utramque, & priorem tutiorem non inficior: sic posterior rem in rebus usu contumptibilibus cenleo verisimiliorem; cum propter deductam rationem: tum verò; quòd rem, quæ ad ejusmodi necessitatem propulsandam necessaria est, absumptis jus naturæ concessioni potius, quàm voluntati domini commensuretur; ac proinde rem non alienam, sed ex naturalis Juris dispositione communem, imò jam suam absumpsisse censetur; rem autem suam absumptam restituere, nemo teneatur.

Præter obligationem restituendi gravibus poenis furta obnoxia sunt. Et Civili quidem, ac Justiniano Jure, furti manifesti (cujusmodi dicitur, quando fur vel in ipso facto, vel post id commissum à domino vel quovis alio cum re furta deprehenditur, antequam istam detulerit, quòd deferre, cum eaque eo die manere delinavit, §. Furtum 3. Instit. de Oblig. ex delicto. fur est 3. Et ff. hic) poena est quadruplum. Non manifesti autem (hoc est, ante rem eò delatam non deprehensi, juxta §. cit. l. Nec manifestum 8. ff. ibid.) duplum, domino, ac non ante condemnatoriam judicis sententiam præstandum, §. Panam 5. Et §. fin. Instit. de Oblig. ex delicto. Rationes, cur manifestum gravius, quàm non manifestum vindicetur, varias DD. reddunt. Ex quibus non incongrua est; quòd manifestum non solum proximum privatum lædat in bonis, sed insuper præbeat scandalum publicè perniciosum, majorémque impudentiam & turpitudinem præferat, arg. *caso. Nemo 4. V. Tolerabilior, 32. q. 4. Et c.*

Ex renovè 4. de Temp. Ordinat. Schneidewin. in §. fin. cit. n. 4. Harprecht in §. Panam cit. n. 2. Et 3. & Manz. in §. cit. n. 9.

Præter hanc Furti actionem, quæ poenalis est & ad quadruplum ac duplum tantum: non ipsam rem furto ablatam recuperandam datur, occasione furti competunt aliæ Actiones: ac præcipuè Rei vindicatio; quæ est Realis, & domino contra quemcunque possessorem, §. fin. etiam pretiò non refuso, l. Incivilem 2. C. de Furtis & post quadrupli vel dupli poenam solutam datur, l. Si pignore 54. §. 3. ff. hic: & Conditio furtiva, quæ personalis actio est, & domino ejusque hæredi competit tantum adversus furem ejusque hæredem, etiam rem ablatam non possidentem: quæ petitur, ut restituat rem ablatam, si extet: vel, si non extet, ejus æstimationem, §. fin. cit. l. 1. l. Ex furtiva cit. l. Si pro fure 7. §. fin. ff. hic l. In re 8. ff. de Condit. furtiva, ubi Interpp. & passim cæteri DD.

Demum eòdem Jure Civili, furti saltem notabilioris condemnatus est infamis, §. Ex quibusdam 2. Instit. de Penâ temerè litig. l. Athletas 4. §. fin. ff. de Hæc, qui infam. nor. etiam si civiliter sit Conventus, Brunemannus in l. cit. n. 4. conventus autem criminaliter extraordinariâ animadversione, pro commissi criminis qualitate ac varietate circumstantiarum, vel pecuniariâ fisco applicandâ, vel carceris, vel relegationis, vel damnationis ad metalla, aut aliâ corporali poenâ olim coerceretur, l. fin. ff. hic l. 1. Et ff. de Furtibus baln. l. 1. §. 1. Et ff. de Effraç. Et expil. Mori autem vel mutilari aliquem pro furto, disertè noluit dictus Imp. Auth. Sed novo C. de Serv. fugit. Et Novell. 134. cap. 13. V. Pro furto, Clarus §. Furtum, n. 7.

Posterioribus tamen sæculis, res alienas clam palàmque fraudulosè contrahendi licentiâ invalescente, in fures severiori

Veriori vindictâ animadvertendum fupremi rerum moderatores censuerunt; & antiquâ quadrupli vel dupli poenâ in furtis ad quinque solidos non accedentibus relicta, graviorum rei frequenter ultimò supplicio affici ceperunt, juxta constitutionem Friderici I Imp. *Lib. 2. Feud. tit. 27. §. fin. & Ordinat. Caroli V. art. 157. Et.* Imò & locorum consuetudinem: quâ fures, quantitate rei ablata, iteratione & frequentia actuum, personarum qualitate, aliisque circumstantiis consideratis, vel pro numellis publice exponi & fustigatione sive scopis ac virgis casos, vel aure, manûve truncatos, vel aliò infami stigmate notatos relegari vel capite plecti, aut laqueo suffocari, & in patibulis suspensos relinqui, passim videmus; ut ita consulatur privatorum securitati & quieti Reipublicæ, cui invalescens furto- rum ac rapinarum frequentia multò plus, quàm olim, obesse capit, ut DD. passim observant.

27. Dubium & practica quæstio est, an res furtivæ apud furem, à iudice apprehensum, inventæ restituendæ domino aut fisco applicandæ sint. Ratio dubitandi est; quòd de damno, quod suâ culpâ sentit, conquiri nemo possit, *l. Quod quis ex culpa 203. ff. de R. J.* furtum autem sæpe non vacet culpâ domini, in eius custodia negligentis, *Glossa in l. cit. V. Subreptum.*

Sed ratio hæc exilis est, cum; quia furtum quandoque annumeratur casibus fortuitis, qui culpâ carent, *l. Ex ratione 30. pr. ff. ad L. Falcid. & l. Pignus 9. C. de Pignorat. act.* tum verò; quia, licet is, cui res ablata est, in culpa aliquando sit respectu alterius, vg. concedentis, in culpa tamen non est respectu furti; & si esset respectu istius, ea tamen esset minor, quàm ut rei injustè ablata & extantis damnò valeat coerceri,

Quare, rem furtivam etiam inventam apud furem domino suo restituentam, meritò declaravit Carolus V. *Constitut. Criminal. art. 207.* quò locò ab isto, & à Ferdinand, I. Imp. *Recess. 1559. §.* Unde nacti dem an esset; alicubi in vestra statuta & consuetudines contrariæ, tanquam abusus & corruptelæ reprobantur; quòd Divino & Naturali vel Gentium Juri adversentur; ut locus sit *arg. c. fin. de Consuet.* ut observat Marfil. *Tract. Criminal. §. Quoniam n. 102.* Eorum certè iniquitatem non una ratio persuadet, Primò enim domino jure competit rei furtivæ persecutio, quâ eam non solum à fure istiusque hæredibus condicendò; sed vindicandò quoque à possessore quocunque recuperare, ut dictum, valeat, etiam pretiò non refusò, *l. Incivilem cit. J. Mater 3. & l. Si mancipiù 23. C. de R. V.* Secundo; quia contra Naturam est, ut quis cum jactura & damno alieno locupletetur: & domini res sine ipsius factò in alium transferatur, *l. Nam hoc natura 14. ff. de Condit. indebiti, Reg. Nec hoc natura 11. ff. & Reg. Locupletari 48. in 6.* Tertio; quia iniquissimum & à naturali ratione alienissimum est, ex factò unius alterum prægravari, & delictum unius in alterius perniciem trahi, *l. 1. pr. ff. de Alienat. jud. mut. caus. l. Non debet 74. & l. Factum 155. pr. ff. de R. J.* cum peccata hisque promerita poena suos tantum auctores ac delinquentes debeant tenere, *l. Sancimus 22. l. Crimen 26. C. de Panis & c. 1. V. Sed si, de In, qua à majori,* contra, quam contingeret, si res sublata furtò non esset restituenda domino, sed applicanda fisco, damnum à fure illatum continenti & augenti; ut adeò fur iste quoque, non furis duntaxat, sed ipsius quoque domini evadere videretur; quòd, ultra rei possessionem, subtractam à fure, proprietatem domino auferret.

F f

Explora-

29. Exploratum itaque est, statutò & consuetudine contrariâ non obstante, rem furtivam domino, quando is certus est, restituendam, ut cum Marfilio *cit. n. 102*, defendunt Damhoulder *Prax. Criminal. cap. 110. à n. 53*. Befold. *Delibat. Jur. p. 2. ex Pandect. Lib. 47. q. 6*. Schneidewin. *in §. fin. Instit. de Oblig. ex delicto, num. 8*. Harprecht *in §. Furtum 3. Instit. ibid. n. 28*. & Haunold, *Tom. 6. de J. & J. tract. 2. n. 260. arg. l. Si captivus 20. ff. de Captiv. & postl. cujus §. 1. deciditur, quòd expulsi hostibus ex agris, quos occuparunt, dominia agrorum ad priores dominos redire debeant, non publicari.*

Quod adeò verum est; ut quantumvis bonæ fidei possessori sumptus, quos fecit in rem furtivam, secundum iudicis æstimationem restituere dominus teneatur, *l. Sin autem 27. §. 5. ff. de l. Si quis I. C. de R. V. & cit. art. 207. V. Hätte aber der Antwoörter/impensas tamen in capturam, custodiam, torturam, executionemque furis factas magistratui refundere dominus non teneatur: sed rem furtivam consequatur sine diminutione, vigore cit. Constitut. quia bono & gravi Præsidi, & cuius iudici ac magistratui ex officio incumbit; ut malis hominibus provinciam purget: ut sacrilegos, latrones, plagarios, fures conquirat, & pro ut quisque deliquerit, in eos animadvertat, *l. Congruit 13. ff. de Offic. Præsidi. quæ autem iudici seu magistratui ex officio incumbunt, absque ullo alicujus privati adminiculo damnòque expedire & gratis administrare tenetur, arg. l. Ut puta 2. §. 2. ff. de Condit. ob turp. caus. Berlich. Practic. p. 5. conclus. 45. n. 32. & Haunold. cit. tract. 2. n. 261. ubi monet, Jure nostro Provinciali, cum res furtiva valore adæquat asses 12. nummum decimum: cum verò 12. asses excedit, 36. nummos iudici solvandos, Maximus Process. Tit. 7. art. 5.**

Ecclesiasticò seu Canonico Jure fur 31. imprimis est infamis, *can. Infames, 6. q. 1. saltem postquam furti est condemnatus, Panormit. in c. fin. n. 14. & ibi Felinus n. 16. ac proinde irregularis; ut neque possit promoveri ad sacros Ordines, neque in susceptis ministrare, ut colligitur ex can. Qui in aliquo 5. dist. 51. can. Testes, 2. q. 7. Reg. Infamibus 87. in 6. & arg. à contrario ductò ex c. fin. cit. Navarrus Manual. cap. 17. n. 204. & Suarez de Censur. disp. 48. s. 2. n. 2. & Pirrhing hic n. 26. & 27. Quæ irregularitas, licet indirectè auferri valeat à Principe aliâve potestate seculari, infamiam Jure Civili inducnam, in qua illa fundatur, per restitutionem famæ abolente, ut cum Henriquez *Lib. 14. cap. 5. n. 3*, aliisque DD. docet *cit. Suarez n. 10. directè tamen eam tollere, & cum ejusmodi irregulari ad sacros Ordines dispensare valet solus Papa: quem tamen ipsum id, nisi infamiâ prius abolitâ, juxta c. Cimente 23. de Sent. & re judic. nunquam facere contuevisse, rectè advertit Molina Tract. 4. de J. & J. disp. 10. n. 3.**

Casu tamen, quò fur, quòd ejus crimen occultum sit, Juris infamiam non contraxit, eum peractâ poenitentia ad SS. Ordinum susceptionem & usum admittere Episcopus potest, per *c. fin. cit. & tradita à Panormit. in c. At si clerici 4. §. De adulterio, de Judiciis n. 4. & Thesouro de Poenis Eccles. p. 2. §. Furtum, cap. 1. n. 2. in fine.*

Eòdem Jure Canonico clericus, in 32. notabilis quantitatis, aut iterato furto deprehensus vel convictus, ab Ordine & officio clericali deponendus, *can. Presbyter 12. dist. 81.* si verò non respiscat, excommunicandus, ac tandem, si incorrigibilis evadat, tradendus est Curie seculari, vi Constitutionis Clementis III. *c. Cum non ab homine 10. de Judiciis, ubi Interpretes & alii DD.*